VERA ET ACCVRATA

RELATIO

DISCESSVS

P. IOANNIS EVERARDI

CONFESSARIJ REGINÆ

NOSTRÆ DOMINÆ

MADRITO


LVNÆ XXV. FEBRVARII M. DC. LXIX.

EX

HISPANICO MADRITI

Impresso fideliter translata.





VERA ET ACCURATA

RELATIO

DISCESSUS

P. IOANNIS EVERARDI

CONFESSARIJ REGINÆ

NOSTRÆ DOMINÆ

MADRITO

LUNÆ XXV. FEBRUARII M.DC.LXIX.

EX

HISPANICO MADRITI

Impresso fideliter translata.

CVm D. Joannes Auſtriacus ſtatuiſſet obſequi mandato ſuæ Majeſtatis, ut propiùs accederet ad Aulam, quò in propinquo magis executerentur ejus prætentiones, & decerneretur utrum deberet Hiſpania excedere P. Confeſſarius; petijt à Duce de Oſſuna comitatum neceſſarium, ut conſuleretur ſecuritati ſuæ perſonæ, quo conceſſo, nec improbante tùm Conſilio Status, tùm Adunatione Gubernationis, proficiſci cæpit lentè, parviſque itineribus, gaudens applauſibus & acclamationibus populorum : ſpeciatim Civitatis Cæſar-auguſtanæ, ubi editæ ſunt ſingulares demonſtrationes affectus erga D. Joannem, & averſionis à P. Confeſſario. Echo ſive reſonantia iſtarum notitiarum per rumores Vulgi ſumens incrementa, cauſavit in Aula Madritenſi formidinem gravis alicujus perturbationis. Itaque conſilio inito die Veneris VIII. Februarii miſerunt Rectores urbis, quatuor Commſſarios ad Præſidem Caſtiliæ : videlicet D. Joannem de Tapia, D. Gonſalvum Pacheco, D Joſephum de Arnalte, & D. Hieronimum Caſanete qui repreſentarunt illi incommoda quæ nata erant ſequi, ſi D. Joannes armata manu appropinquaret Aulæ imparatæ, & populo diſpoſito ad tumultuandum tàm effusè, ut licet D. Joannes vellet, non poſſet prohibere inſolentiam militum, & imperitæ multitudinis, querulæ de regimine, & invidæ commodorum, quibus gaudent Miniſtri. Præſes cum toto Conſilio Regio ſuaſerunt Reginæ ſcriberet D. Joanni: dimitteret à ſe ſtipatores; in iſtum finem ablegatus eſt Curſor Sabbatho 9. Februarii cùm mandato ſuæ Majeſtatis, Comitatum abdicaret, ſimulatque veniret ad fines Caſtiliæ. Accepit ſua celſitudo hunc ordinem, & accelerando iter ac duplicando progreſſus, ſecum traxit Curſorem per duos dies, tertio dedit illi recipiſſe litterarum, dimiſitque ſine reſponſo. Exſpectabatur in Aula reſolutio D. Joannis, cumque videretur Curſorem deteneri ultrà tempus neceſſarium ad itum & reditum; multi ex Magnatibus & Nobilibus acceſſerunt Præſidem, & obtulerunt ſe ultrò ad exequendum quemcumque ordinem ad ſervitium ſuæ majeſtatis, & ſecuritatem Aulæ ac Palatij: dixeruntque

que modo haberent decretum suæ Majestatis, se talibus mediis usuros ut suæ Majestati maneret libertas disponendi quæ censeret consentanea suo Regali servitio. Exhibuit Præses Catalogum eorum qui se obtulerant, & quid consilij suggessissent pro præsenti statu. Reginâ consentiente ordinavit Præses ut Marchio de Penalua cogeret equitatũ, qui erat circumfusus Madrito, & evocans Reformatos, aliósque qui se voluntarios præberent, pergeret ad D. Joannem, eique denuntiaret decretum de dimittendo præsidiario suo comitatu, & cogeret ad obtemperandum. In virtute hujus mandati cœperunt parare arma, & disponere omnia quibus opus foret ad resistendum: Verum enim vero quia domini illi movebantur non ex aversione à D. Joanne, sed tantummodo ex desiderio defendendi auctoritatem Reginæ, exspectarunt decretum Regale in forma, ad executionem eorum quibus occurrendum esset. Secretarius expeditionum Generalis hic moras injecit, recusavit enim apertè, & asseruit se non scripturum tale decretum, allegans Reginam non habere potestatem ullam sumendi resolutionem, quæ non transisset per magnus Adunationis institutæ ad Gubernationem universalem. Cumque hanc repulsam tuerentur D. Cardinalis Aragon, Comes de Peñeranda, & Vice-Cancellarius Aragoniæ, potenter coram Regina se opposuerunt: & in ipso conventu qui habitus est Dominica 17. Februarij reprehenderunt Præsidem Castiliæ quod se tueretur ejusmodi mandato, & parasset executionem. Cumque exemisset è sinu testamentum Regis, ortæ sunt magnæ altercationes super sensu & intelligentia verborum. Ob has & alias contradictiones Ministrorum, visum est Reginæ supprimere mandatum quod dederat: Atque ut tolleretur suæ Majestati & Aulæ apprehensio, mox sparsum est in Vulgus: D. Joannem ex nunc obsequutum esse, & dimisisse à se Comitatum; aut si fortasse distulisset, ad unam simplicem schedam suæ Majestatis illico obtemperaturum sine dubio. Die Martis sequenti misit Regina D. Joannem de Velasco Ministrum in paucis gratiosum apud D. Joannem, cum epistola perquam benigna, qua

instabat, imò rogabat ut nuntium remitteret militibus, & non accederet ad Aulam cùm armatis. Fuerat sua celsitudo, prout dicitur, clàm in Aula, & audiverat Dominica sacrum in Rosarico. Hinc assecutus quomodo res se componerent & auscultans ijs, quæ sui amici auribus suis insusurrabant, litteras exaravit majori quàm antehac præsidentia & claritate ad suam Majestatem. Ab illo die omnes censuerunt Confessarium perditum: & ipse perspiciens suum periculum, iteravit apud suam Majestatem suas postulationes, quas alijs vicibus fecerat; ut licentiam concederet, quo posset se subducere: nec potuit aliud ab ea extorquere, præter Lacrymas & displicentiam ad talem propositionem. Videns ergò se nihil proficere, decrevit, uti fassus est, se totum committere paternæ Dei providentiæ, ejusque voluntati se penitus conformare. Statim vulgatum est in Aula, quod die lunæ 25. Februarij deberet abire P. Confessarius Reginæ, assumptus in rhedam à D Cardinale Aragon. Prognosticum quod eventus docuit esse nimis quã verum, sicut & plura alia quæ audita sunt in ista materia. In his terminis cùm res essent positæ, percrebuerunt Sabbatho nuntia, quod D. Joannes appropinquaret: uti etiam eodem die venit in oppidulum Torrejon de Ardoz quatuor leucis dissitum Madrito. Congregata est Gubernatio dominica mane festo S Matthiæ, & statuit ut D. Nuncius ei occurreret, traderetque litteras summi Pontificis illi inscriptas, & rogaret ut reverteretur in Guadalaxar; aut ad minimum daret quatuor dies moræ ad deliberandum. Eadem nocte rediit cùm responso: suis rebus consultum non esse differre id, quod sibi statutum erat facere; dilationem temporis tantùm servire posse præventioni, quam adornarent: si die Lunæ Confessarius non egrederetur per portam, ejiciendum esse per fenestram, & D. Joannem intraturum Madritum, & per ipsummet executioni mandandum. Nihil horum novum accidit Confessario: Vnde eodem die Dominico postquam confessionem audiverat Reginę provolutus ante illam in genua, suppliciter petijt etiam atq; etiam attenderet suæ Regiæ authoritati, quietique publicæ & Au-

 la

læ,& compaſſionem habere dignaretur ſuæ perſonę periclitantis, & diffamationis ſuæ Religionis,impertireturque ſibi optatam licentiam ad diſcedendum: eo quod ſecundùm circumſtantias præſentes, ſolùm id medium reſtaret; non ſolùm congruum, ſed etiam contra vim neceſſarium, aliàs quod omnia periclitarentur. Regina cum lacrymis reſpondit: non loqueretur ſibi de iſta materia, quoniam non eſſet iſtius mentis. Ad iſtam reſolutionem ſuæ Majeſtatis Confeſſarius: finem nullum ſperandum deficientibus mediis; & quandoquidem ſuæ majeſtati non placuerit adhibere ullum è tot a ſe ſuggeſtis cum notitiis individualibus omnium quæ contra illam agitabantur, crederet certam inſtare ſuam perniciem. Ne tamen ſua Majeſtas opinaretur intepuiſſe ſe in ejus ſervitio, aut timorem mortis aut aliam quampiam violentiam animum ſuum expugnaſſe; recepturum ſe in domum ſuam, nec frequentaturum ſe conſilia; & quamvis ſe in fruſtra conciderent, non abiturum Madrito ſine decreto ſuæ Majeſtatis. His dictis conceſſit domum, ubi præſtolatus eſt quid de ſe futurum eſſet; & comparavit ſe multa & longa oratione ad quemcumque eventum. Hac occupatus, & componendis chartis, totam prope noctem duxit inſomnem, confortans ſe magis ac magis ſingulis momentis in ijs, ad quæ animum decebat eſſe præparatum; quia totum quod in horas accidebat dirigebatur ad effectum quem præſagiebat. Illo veſpere convenit Conſilium Regium, quod protractum uſque ad noctem. In illo ſancitum, demonſtrandum Reginæ omnino convenire Patrem Confeſſarium abire. Poſtero mane coacta eſt Gubernatio,ut illam conſultam expenderet,cumque deſideraretur Marchio de Aytona ob invaletudinē,aderant D. Cardinalis Aragon,& Vice-Cancellarius,qui erant iſtius ſentētiæ,quod ſua Majeſtas deberet ſe conformare cum conſulta Conſilij Regij. Contra Præſes Caſtiliæ, & Comes de Peneranda oppoſitum ſuſtinebant. Pilores elevabant ſuſpectam à D. Joanne machinationem, applauſum & ſequelam populi: ponderabant, ſi ingrederetur Madritum, idem eventurum, quod in Francia Duci de Guiſe, qui intrabat portas Pariſienſes

ſienſes cùm ſex equis, & venit ad Palatium cùm viginti millibus. Non ex vano timendam eſſe ſeditionem, in qua expilandum eſſet Madritum, & paterentur omnes Miniſtri Regij, ob ſuſceptam defenſionem unius Religioſi extranei, qui ipſemet miſſionem flagitabat, nec aliquem haberet qui ſorti ejus condoleret; è contra cui omnes maledicerent, tanquam ſi eſſet probrum mundi. In ſimilibus caſibus eſſe prudentiam, imprudentibus accedere, nec eſſe tempus opponendi ſe curſui violento ac præcipiti receptæ fraudis & deceptionis Communis. Poſteriores contra contendebant, & exaggerabant eſſe meram injuſtitiam, quæ committeretur, ita evertendo hominem ejus conditionis, & quidem innoxium ex metu affectato, cui facili remedio occurri poſſet, & bidui non ampliùs ſpatio procurati. Addebant virum eſſe inculpatæ vitæ, modeſtum, & verè magnæ virtutis. Conſtare omnibus non eſſe reum rumorum, qui de illo perperam ſparſi ſunt in vulgus. Rem fore indignam, ſi Regina obſequatur Vaſallo exigenti, ut cum tanto ſenſu doloris, avelli ſinat à ſuo latere unum Confeſſarium, & inſtructorem aſſignatum ſibi ab Imperatore ſuo parente, & probatum â Rege ſuo marito; quem traxit è patria, & qui ſemper fideliter adſtitit ſuæ Majeſtati: Indignum fore non habere Reginam Catholicam vires & auctoritatem cogendi Vaſallum, ut ſibi pareat in re tam juſta & æqua; nempe ut non accedat propriùs ad aulam cùm armis, nec minetur ſuæ Majeſtati cùm violentia; in ſcandalum vertendum, & ludibrium aliarum nationum, quod Concilia Hiſpaniæ ſe ſuperari ſinant à rumoribus vulgi, & ſuo conſenſu approbent; nec Aulam Madritenſem, nec potentiam Regis Hiſpaniæ, pares eſſe ad reſiſtendum trecentis equitibus. Interea temporis quo Domini iſti ſententijs diſcrepantes inter ſe diſceptabant, comparuerunt in areâ Palatij, Dux de Infantado, Marchio de Liche & non nulli alij Magnates: nominatim Marchio de Povar qui cæpit diſcurrere per aream turbato vultu, quaſi premeretur magni momenti negotio quod moram non pateretur. Quo animadverſo turbatio invaſit omnes, qui ex curioſitate ſequuti examen populi

affluentis eo quod præsumerent commotionem illam esse contra Confessarium. Duo illi Grandes petierunt audientiam apud Reginam, quæ cum esset denegata, iverunt ad *Covarbhiula* (ita vocatur minor in aula Cavea) pone sequente populi turba, ut alloquerentur D. Blasium de Loyola, tradideruntque illi schedam, quam volebant per illum deferri ad Reginam; quod cum ille subterfugeret, duxit illos ad juntam sive adunationem Gubernationis: & intromisit, ut proponerent id, quod sibi aperuerant. Ingressi dixerunt Dominis congregatis: finem facerent in resolvendo, ut facesceret P. Confessarius, quia hoc conveniret bono publico, neque nectendas ulteriores dilationes. Adunatio delegavit D. Blasium de Loyola cum isto Memoriali ad Reginam: & sua Majestas cum lacrymis & suspiriis annuit tandem, ut Pater confessarius discederet. Extorto illo consensu commissio data est D. Cardinali, & Comiti de Peneranda, ut deferrent ad illum istam chartam. Iverant Superiores Patrum Societatis, ut persuaderent P. Confessario non exspectaret graviores ictus; sed actutum sumeret resolutionem discedendi. Eodem tempore supervenit Almirantius Castiliæ, qui dicens se venire ad eundem finem, ob quem venissent Patres, exposuit statum rerum, & quod nunc non superesset aliud medium. Porró quandoquidem jam esset tempus dicendi veritates, sciret illi culpam imputandam, quod res venisset ad illos terminos ob defectum resolutionis. & exiguam confidentiam, qua usus fuisset erga amicos & zelatores boni Communis, & in specie erga Religiosos ejusdē instituti, cum quibus se gessisset tanquam peregrinum. Ad hæc respondit libero animo Pater Confessarius, monens: illos sermones non esse ejusmodi, ut proferri deberent in publico, apud unum Inquisitorem generalem: Ageret secum privatim si quid haberet dicendum; & non faceret omnes qui audirent Iudices in sua causa. Reliquerunt ergo Patres & postquam soli consuluissent, egrediens Almirantius dixit: Mihi planè satisfactum est: & judico quod vestra Excellentia fecerit totum quod debuit: exinde D. Inquisitor Generalis con-

versus ad Religiosos respondit: se positum esse in manibus Dei, pro cujus caussa non formidaret mortem subire, quam tanto tempore exspectasset, sine alia securitate quam conscientiæ suæ. Sed neque timere se, quod Deus scrutator cordium eum argueret ullius noxæ in qualitate Ministri, vel omissionis, in eo quod ministerium requirit. Non queri se de ijs, qui procurassent suum exilium; velle se credere bona intentione operatos: solum se deplorare Reginam nostram Dominam, cui tantum debebat venerationis ac obsequij, & cujus suavi indole atque benignitate abusi fuissent adversarij, ut inferrent talem afflictionem. Verum quod super omnia illi doleret, sua occasione passuram, & traducendam Matrem suam sanctissimam Religionem. Cum proferret hæc postrema verba, dedit manu ictum, & oculi ad teneritudinem componebantur. Et hæc fuit sola & unica demonstratio sensus, quam prætulit in tota ista tragædia. Accesserunt confestim duo illi Domini deputati à Gubernatione, & cum incumberet loqui Cardinali Aragon, tantæ illi subortæ sunt Lacrymæ, quas expressit commiseratio nobilis & ad pietatem propensi cordis; ut vices ejus suscipere debuerit Comes de Peneranda, & denuntiare: quomodo suæ Majestati visum fuerit concedere illi licentiam abeundi, quia toties ad eam obtinendam instantias fecerat. Ad quæ ille singulari constantia sine ulla vultus mutatione: sibi pergrata esse ea nuntia, quæ tanto tempore desideraverat, & ob quæ tam crebras supplicationes iteraverat apud suam Majestatem, cui volebat obedire in omnibus: & ut perfectius impleret obedientiam quam ei deferebat, cupere se scire quo? & qua forma discedendum sibi Madrito præciperet sua Majestas? Cumque intellexisset placere Reginæ ut se pro tunc conferret in Foncaral uno ab urbe lapide, eoque mittendos illi scripto ulteriores ordines, admisit cum tanta alacritate & gaudio, ut Magnates illi vehementer admirarentur tantum despectum Mundi, & tam firmam constantiam in casu tam arduo. Offerebat illi Dominus Cardinalis mille doblones in viaticum, & Comes de Peneranda vicissim cedulam

trecen-

trecentorũ ducatorum in eundem finem: ſed ille generoſè detrectavit admittere, dicens: tanquam Religioſum pauperem ſe veniſſe, & modum ſe noſſe quo tanquam pauper Religioſus reverteretur. Ita diſceſſum eſt, & ipſe pranſus eſt more conſueto, majori tamen æquabilitate animi, quam aliàs ſolebat, conſolans & animans famulos ſuos, qui audientes ea quæ dicebat, flebant magis ex compaſſione quam dolore. Iſto manè fuerat hora & media in tribunali ſancti officij, & declaraverat præſentibus, quod præſtolaretur determinationem ſui diſceſſus, ſive id, quod Deo viſum foret de eo diſponere, dans ordines in rebus neceſſarios & convenientes negotijs quæ directione egebant, eodem vultu quo ſemper, ſinè oſtenſione minima perturbationis in animo; nec queſtus de D. Joanne, vel ullo Miniſtrorum, præſagire ſe monſtrabat, quod culpandus eſſet probabilitèr de nimia remiſſione, & oſcitantia in adhibendis remedijs idoneis ad præveniendam iſtam confuſionem: quem errorem diſcutiebat explicando, quomodo unas ex alijs conſultas obtulerit ſuæ Majeſtati, ſupplicaveritque ut adhiberet unum aliquod ex iſtis medijs, quæ ſuggerebat, ne veniretur ad iſtas extremitates: aut ad minimum faceret ſibi poteſtatem tempori ſe ſubducendi: Verum quod ſua Majeſtas ex diſpoſitione divina non ſumpſerit ullam reſolutionem, ut per unum extremum vel aliud, de ſua magna benignitate & clementia quidquam detraheretur. Atque adeò uſque in id tempus feciſſe ſe quod potuit & debuit. In occaſione autem præſenti, exſpectare ſe reſolutionem ad quam circumſtantiæ compellerent: ea habita valedicturum ſe omnibus.

Cum hac exſpectatione accubuit menſæ, & inter veſcendum, moneri curavit Dominos Tribunalis, ut à meridiè iterum convenirent. ijs congregatis, valedixit omnibus, ſingulos omplectens cum ſignificatione gratitudinis, innocentiæ, & magnanimitatis; quod elicuit lacrymas ex omnium oculis: in ipſo ſolo non apparebat minimum ſignum triſtitiæ & dejecti deſolatique animi. Hoc officio humanitatis peracto ecce adeſt D. Cardinalis Aragon

Cum

cùm rheda in quam eum assumat ad migrandum. Quærit is utrum sua convasasset? reposuit nihil se habere convasandum: vestem suam quam gestabat & breviarium sibi sufficere; & hæc esse omnia quæ haberet portanda. Hoc dicto vehiculum conscendunt, & in digressu cæpit populus post eum contumeliosè clamare *vaya*, quod est dicere: Vade, cùm vociferationibus, sibilis, & improperijs: Lapidibus etiam eum appetijssent nisi reverentia D. Cardinalis quem habebat ad latus, prohibuisset. Statutum illis de industria fuit declinare plateam *de Leganitos*, eò quod cum illic moraretur incondita multitudo & fæx populi, ut eum insultando detriumpharet, convitijs lacesseret & Madrito ejiceret, quem judicabant esse pestem totius Regni, & disturbatorem restaurationis quam sibi pollicebantur procurandam à D. Joanne. Verùm cum delatus erat usque ad Pratum novum (ut vocant) in angulo domus Dominæ Mariæ de Aragon, offendit aliquam manum collectam, quæ dicteria & scommata jaciebat: quæ ille sereno vultu accepit, & reverentiam humaniter exhibens, dixit: Valete filij; ego jam discedo. Deflexit deinde ut intraret plateam, quæ tendit versus sanctum Joachim: hic fuit major vociferatio & irrisio, usque dum populo extricatus viam petexit tenere de Foncaral, honoris causa stipatus toto Tribunali supremæ Inquisitionis, D. Cardinale, Comite de Medellin, Marchione de Liche, & alia nobilitate cujus urbanitas non dependet à fortuna. Inter tot maledicta non defuit compassio: specialiter mulierum quæ degunt in Palatio; hæ enim quæ antè eum abominabantur, modò deplorabant dicentes; dolendum esse talem rigorem exerceri, contra virum tantæ virtutis. Vix suam domum reliquerat, quando famuli intrantes conclave ejus ut cubiculum componerent: repererunt inter vestes abdita cilicia & disciplinas, quibus corpus suum affligebat, & convocando omnes promiscuè ad spectaculum illius carnificinæ, ingeminabant: Ecce isti sunt Milliones quos Herus noster mittebat in Germaniam. Notitia & commemoratio, quæ provocabat pietatem multorum ad condolendum ejus

infortunio. Iste generosus affectus tantùm valuit in pectore D. Joannis: Vt dum offerrent se illi quidam adulatores sicarii ad eum trucidandum in itinere, responderit sua Celsitudo: Non permittat hoc Deus! affatim satis illi factum est mali. Die sequenti qui fuit Martis 26. Februarij emanavit decretum Reginæ, quo notum facit consilijs: Quomodo sua Majestas cōdescendens iteratis supplicationibus, quibus P. Confessarius institit, ut posset Madrito excedere, dederit illi licentiam ut proficisceretur Romam in qualitate Legati extraordinarij; quodque sua sit voluntas, quam omnibus patefactam esse cupit, ut vadat retentis omnibus honoribus, stipendijs & prærogativis, quibus antè hàc fruebatur. Dedit etiam sua Majestas ad illum litteras, significans quomodo se res disposuerint: adeò ut fuerit violentè coacta se inflectere ad illam resolutionem: & concludit cum his verbis: ego confido in misericordia Dei, quod omnia vertet in manifestationem innocentiæ vestræ, & restaurationem meæ auctoritatis. Illo ipso die visitarunt eum quidam Magnates, & valdè honorifica signa illi exhibuerunt æstimationis & propensæ in eum voluntatis, apophoreta illi offerentes, & pecuniarias largitiones. sed præ omnibus commendanda fuit elegantia Dominæ Ducissæ de Bejar, quæ cum ejus aliam notitiam non haberet, quam ex aliorum relatione, misit illi credentiales, ut ubicumque opus illi foret illis uteretur, liberalitèr offerens magnas pecuniæ summas, & addens: si aliquos è suo famulitio post se reliquerit discommodatos, ad se remitteret, se sumere illos sibi proprios, salaria de suo solveret, & indigentiæ succurreret ejus debita in se sumptura. Die Mercurij digressus est è Foncaral, ivitque pernoctatum in S. Augustini, prosequens iter in Cantabriam usque, ad visitandam domum Loyolæ ubi sanctus Ignatius natus est. Atque cum his manet omnis populus in magnis spebus, quod cum Domini, quibus cura demandata est Gubernationis, suis clamoribus se submiserint in re tam ardua: faciliùs se accommodabunt in re tam justa & æqua, qualis est moderatio vectigalium Hispaniæ.

FINIS